TYPIS A. W. SIJTHOFF.

ORATIO

DE

VARIIS CAUSIS QUIBUS FIT, UT POPULORUM LEGES AB EORUM MORIBUS DISCREPENT,

QUAM HABUIT

JOËL EMANUEL GOUDSMIT,

DIE VIII FEBRUARII MDCCCLXXI.

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD W. T. WERST.
(JACM. HAZENBERG, CORNI. FILM.)
MDCCCLXXI.

ACADEMIAE LUGD. BAT. CURATORES, VIRI ILLUSTRISSIMI, SPECTATISSIMI.

PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI.

CIVES ACADEMICI, BONARUM ARTIUM STUDIOSI, LAUDATISSIMI ADOLESCENTES.

CUJUSCUNQUE ORDINIS HIC ADESTIS, AUDITORES HUMANISSIMI.

Nihil fere tam tritum est ac vulgare, nihil tam omnium ore celebratum, quam illud, cujusque populi naturam et indolem nulla ex re melius quam ex legibus suis perspici et cognosci. Cum nimirum optimae sint meritoque habeantur leges, quas populus ferre possit, ferre autem posse censendus sit nonnisi eas, quae ad ingenium moresque suos accomodatae sunt, inde facile sequi, leges, si quid umquam, esse speculum, quod civitatis imaginem fidelissime referat. Quum praeterea, ut ait Julianus, leges nullâ aliâ de causa nos teneant, quam quod judicio populi receptae sunt,

haud temere quis inde conficiat, has, simulatque appareant a moribus aliquantum abhorrere, simul cum mutata rerum facie repudiari ac veluti nummos reprobatos e medio hominum tolli. Hoc tamen saepe non ita sese habere, nemo vel paululum rerum expertus inficias ibit. Cujus rei causas, quantum sinant temporis intra quas concludor angustiae, hac mihi data opportunitate explanare proposui. Dicam igitur *de variis causis quibus fit, ut populorum leges ab eorum moribus discrepent.*

Hominum natura ita comparata est, ut plerique suo potius quam alieno arbitrio regi, de eo quod a se fieri aut non fieri oporteat, se ipsos judices atque arbitros constituere quam alios edere malint. Hac scilicet naturali facultate quidquid lubeat faciendi, Romani libertatem consistere et a conditione servorum, qui rerum loco habebantur, differre existimabant. Istiusmodi vero plena nullisque finibus circumscripta libertas, cum facile ceterorum infregisset fuissetque adeo metus, ne cuncta ad vim armaque converterentur, sponte apparet, quocunque titulo aut nomine constituendum fuisse imperium, quod fines ita regeret, ut quisque suam ipsius libertatem cum aliorum in concordiam redigere cogeretur.

Tali autem imperio sese subjiciendi, quamvis summa

atque inevitabilis cogere videretur necessitas, ne sic tamen ad id facile sese adduci passi fuissent homines, de privato potius commodo promovendo quam de communi omnium salute tuenda solliciti. Mirum itaque non est, eos quibus rei publicae regundae legumque ferendarum potestas fuit concessa, mature perspexisse, si aliquid apud populares suos valere vellent, ipsorum potestatem muniendam atque corroborandam esse summa quadam auctoritate, quae cum supra mortales emineret, sola reverentia sui et citra hominum invidiam vel offensionem, omnes ad obedientiam impelleret et perduceret. Sic ex antiquitate legislatores, cum usu essent edocti, omnium fere mortalium pectora imbuta esse pietate erga Deos, qui omnibus rebus humanis interesse censerentur, jura civibus suis imponenda vel a coelesti numine repetita, vel saltem ejus nutu atque auspiciis condita esse omnibus inculcare studebant; sic demum jussa ac praecepta sua a contemtu ac violatione hominum tuta fore arbitrati. „Lex est", sic summus Atheniensium orator „cui omnes obtemperare par est, tum ob alia „multa, tum vel maxime quod omnis lex est inventum „ac munus Dei, decretum vero prudentium."

Legibus autem sic divina auctoritate sancitis, id necessario sequebatur, ut cum committere in eas piaculum esset, tum etiam, ut quasi a Diis immortalibus profectae, haud secus ac Dii ipsi humanae vitae metas

excedere et immortalitatem spirare videri debuerint. Legislator scilicet a Deo majestatem repetens, non tantum supra omnes et omnibus horis, sed etiam in aeternum sapiebat! Facile hinc intelligitur, plerosque veterum populorum, progredientibus etiam temporibus et mutata prorsus civitatium et juris conditione, lubentissime posteriores suas leges ad vetustissimas quasque, quarum aliquando ne verba quidem amplius intelligebat, retulisse et Romanos v. c. diu diuque ad leges Regias sic nuncupatas, quasi ad fontem perennem provocare solitos fuisse. Quam sagaciter autem veteres isti legislatores humanam naturam pervestigatam et quam bene perspectum habuerint, quantum ad perpetuum legum cultum interesset, earum originem non ab hominibus sed potius a coelo derivare, inde patet, quod vel hodieque, dum omnes quae ubique terrarum umquam latae fuerint leges, ad severum judicium revocantur et sine ulla religione pro re nata corriguntur et abrogantur, eae longissime et tenacissime novandi studio resistunt, quae sive veteri sive novo foedere nituntur, vel niti censentur. Exemplo sint leges de nuptiis cognationis nomine prohibitis, de divortiis, de usuris, de mortis poena infligenda aliaeque quae neque institutis nostris consentaneae neque ad humanam societatem tuendam necessariae, nihilominus apud recentiores easque cultiores gentes vigorem suum obtinent obtinebuntque,

donec de Ecclesiae ab imperio separatione, sanius ab universis feretur judicium.

At vero populus, quamquam rudis adhuc et barbarus, ad pristinas suas ac divinas leges tamquam ad saxum adhaeret, paulatim tamen a nativa sua simplicitate recedit. Etenim aucto incolarum numero cum imperii sui fines promovere cogatur, oculos vertit ad exteras nationes primum finitimas, deinde remotiores, quarum alias foederibus et pactionibus in amicitiam et societatem recipit, alias vi et armis subigit. Arctior inde necessitudo, quae connubio et commercio firmata, id sensim efficit, ut ei innotescant exterorum jura et instituta usuque discat, illa quamvis ab indigenis differant, habere tamen quo se prae his commendent et esse quoque in hoste virtutem. Sic istud quod cum aliis populis intercedit commercium, cum universe populum a rudi et agresti vita ad humaniorem deducit cultum tum etiam in jus suum non magnam exercere vim non potest. Quidquid propriae leges habuissent duri, paulatim in lenius flectitur, quod fuit asperum, simplex, absolutum, moderatur aequitas; pro mero jure civili, quod veram olim referebat imaginem gentis incultae et horridae, coli et observari incipit id quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, donec tandem magis magisque excultis moribus, novum extitit jus a pristino re prorsus diversum. Re inquam; ani-

madvertatis enim velim, ingentem illam juris mutationem apud antiquas praecipue nationes, locum non habere voce ac suffragio legislatoris (semper enim quod novum habetur nec tralatitium odio habetur) sed potius rebus ipsis et factis idque vel tacita civium conventione (consuetudine) vel ita, ut qui jurisdictionem habent, communi omnium consensu suppleant et corrigant id quod leges habent vitiosi, aut denique ita, ut Icti itidem probante populo, fictionibus ac commentis suis vel subtili eorum interpretatione verba legum quidem teneant, mentem vero ac sensum omittant. Ita stare videtur vetus et quasi sacrosanctum aedificium, revera fundamenta sunt labefactata et ex remota illa vetustate nil fere superest, nisi memoria et cultus. Eadem rerum ac legum vocabula, eaedem formulae et actiones, res toto coelo diversae; aliud praecipiunt leges, aliud effecerunt mores.

Vultisne exempla? ad Romanos provoco.

Probe illi intellexerunt ad bellicam virtutem et gloriam conciliandam, nil magis valere quam disciplinam militarem, qua prolapsa ne stare quidem rempublicam posse; quo vero huic disciplinae jam a teneris adsuescerent, a familia exordium esse capiendum. Intra domum igitur omnia regebantur et gubernabantur nutu ac voluntate unius patrisfamilias, qui ut ait Ictus, in domo dominium habebat cujusque potestatem qui vel tantu-

lum circumscribere conatus esset, vim inferre videretur. Hunc adeo dominum seu potius magistratum domesticum, metuebant servi, verebantur liberi, suspiciebat uxor. In liberos, ut cognitum est, potestas erat talis, ut nulla neque sexus neque aetatis neque dignitatis ratione habita, haud secus atque servos et animalia, posset eos pretio mancipare, virgis caedere, in carcerem detrudere, impune necare. Tyrannicam, inquies et vix tolerabilem dominationem! Cavete tamen putetis, id quod iure erat licitum, etiam honeste fuisse habitum usuque rerum obtinuisse. Quod ni prohibuisset insita parentibus erga liberos caritas, prohibebant instituta quibus legum rigor et severitas mitigabantur. Prohibebat nempe quod ex propinquis constabat consilium, sine cujus interventu nil gravius ad domum pertinens statui poterat. Prohibebat praeterea censor, qui dum aerarium faciebat equitem, qui equum habuisset gracilentum vel alium quemque civem, qui agrum suum sordescere passus fuerit, certe in liberos nisi in atroci facinore deprehensos, saevitiam impunitam non reliquit.

In uxorem quoque si uno ex tribus cognitis modis in manum mariti convenisset, erat imperium. Si quid perverse tetreque fecisset mulctabat. Si vinum bibisset vel cum alieno viro probri quid fecisset condemnabat. Verum ne in eam quidem gravius animadvertere quis ausus esset, nisi prius, ejus quod perpetrasset certiores fecisset,

cognatos, quibus arbitris et testibus utpote judex sententiam ferebat. Inficiari nolo, ex meri juris rigore uxorem aliquatenus rei loco potuisse et mancipari et usucapi et si quid acquisivisset, se marito acquisivisse. En! sic exclamant, qui species rerum, non res ipsas vident, Romanorum uxores liberorum tantum quaerendorum causa comparatas, ad ancillarum instar habitas et pro lubitu repudiatas, amor conjugalis neque orientalibus populis neque Graecis neque Romanis cognitus, posteriorum scilicet hoc temporum inventum! Quam egregie falluntur, qui populorum mores vitaeque rationem ad unicam legum normam exigere solent. Mihi credite! Romani nondum saltem depravatis moribus, non secus atque nos uxores suas amabant et diligebant et vicissim ab iis amabantur et diligebantur. Testatur Historia, quâ docemur, quingentis annis post Romam conditam nullas rei uxoriae actiones fuisse, nullis fere matrimoniis divertentibus, testantur innumera quae nostram aetatem tulerunt monumenta, testantur sexcenta fidei, pietatis, caritatis, castitatis exempla, testatur pulchrum illud quod Romae colebatur signum Pudicitiae, quod nefas erat attingi, nisi ab ea quae semel nupsisset, testatur quod ait Columella „nihil cernebatur in domo divi-„dum, nihil quod maritus aut femina proprium sui „juris diceret;" testatur denique Ictorum Romanorum matrimonii descriptio, qua nec elegantior nec con-

cinnior reperiri potest „consortium omnis vitae, divini et humani juris communicatio.

Pater familias qui vivus in domo dominium habebat, moriens uti legassit super pecunia tutelave rei suae ita jus erat. Poterat itaque levissima vel nulla de causa exheredare, quos occidere licebat. Qualis, sic denuo vociferantur, juris iniquitas! Tam maligne circa sanguinem suum versari posse parentes, extraneorum forte delinimentis vel instigationibus corruptos! Non animadvertunt denuo, qui jus Romanum carpunt, viguisse apud illos institutum, quo vix umquam fieri poterat, ut quis liberis suis nil merentibus istiusmodi notam inureret. Viva nempe voce, coram populo ad hoc in comitia vocato, testator testamentum suum nuncupans, debebat liberos suos exheredes facere. Num igitur verisimile existimatis, patremfam., qui cum vivus, tum post mortem justo honore apud cives suos haberi voluit, temere exheredaturum fuisse boni frugis liberos et sic summae crudelitatis et inhumanitatis subire infamiam? Posterioribus quidem temporibus, testamenta non amplius palam nuncupabantur, sed coram paucis testibus scripto consignabantur. At quid tum juris erat? Tum nempe fingebatur is, qui nulla de causa liberos suos exheredasset, non sanae mentis fuisse et hoc colore totum illud testamentum quasi furiosi corruebat.

Si denique quis ob pecuniam debitam pluribus credito-

ribus esset addictus, partes secandi corporisque partiendi jus ac potestas erat. „De illa immanitate non lubet et piget „dicere." Sic Philosophus, legis XII tab. obtrectator. Sed quid Ictus? „nihil profecto immitius, nihil immanius „nisi ut re ipsa apparet, eo consilio tanta poenae imma„nitas denuntiata est, ne umquam ad eam perveniretur." „Dissectum esse antiquitus neminem equidem nec legi nec „audivi." Videtis Auditores! qui de Romanorum ingenio et indole ex solis eorum legibus judicaturus sit, quam pravum et iniquum de iis ferret judicium.

Vidimus, qua ratione fit, ut leges re omni vi destitutae ob nimiam vetustatis reverentiam specie immutabiles et immutatae videantur. Ab altera parte accidit, ut ingenio, indole, institutis populi postpositis, leges ferantur neque temporibus quibus, neque hominibus ad quos accomodantur congruae existatque adeo inter eas et mores discordia, priore illa quam adumbravimus longe perniciosior. Quod quomodo contingit, paucis exponamus. Non facile nimirum excogitari potest civitas, in qua non pro diversa ejus natura, inter varios civium ordines iniqua constituantur jura. Sic v. c. in theocratica regiminis forma, ubi religio cum imperio cohaerens, principem sibi vindicat locum, penes illos qui sacris praesunt, cum esse censeatur omnium rerum divinarum atque humanarum notitia, est quoque omnium rerum

potestas et arbitrium. Apud nationes bellicosas, quarum unicum fere est propositum, quam plurimas alias bello domare, qui maximum hostium numerum feriendo vel munitarum urbium moenia adscendendo, bonam sibi famam acquisiverunt, nobiles habentur partamque sibi nobilitatem ad posteros transmittuut. In civitatibus denique mercaturae terrestri aut maritimae deditis, qui terras longinquas et incognitas peragrando easque patriae suae nomine occupando, ejus gloriam et opes amplificarunt, inter nobiles aggregantur. Sic sponte sua et ex ipsius rei natura, varii ejusdem regionis incolae varia utuntur cum dignitate tum auctoritate; et cum vix ulla reprehensione dignum videatur, eos qui meritis praecellunt, juribus quoque praevalere, sine ulla reliquorum civium aut invidia aut offensione, nonnulla iis tribuntur privilegia, quae ceteris denegantur. Verum cum post aliquod longius aut brevius tempus, sacerdotum mysteriis evulgatis ac cornicum oculis confixis, rerum notitia et scientia ad plures permanare coepit, cum illi, quorum majores res magnas gessissent, ipsi ignavi ac nihil agentes, arma tantum eum in finem gerunt, ut foeda et crudelia in cives suos perpetrent, cum ex opibus et divitiis creverunt fastidium et arrogantia, cum denique privilegiorum abusus eo tendit, ut immunitate illis data, qui eâ minime indigent, ad reliquos redundent pleraque civitatis onera, tum ab omni parte

audiuntur querelae et clamores, qui si tantum juris iniquitatem spectarent, vix esset, quod vitio verteretur; sed semel irritata ac cupiditatibus incensa et obcaecata multitudo, non tantum iniquam juris, sed maxime increpat inaequalem fortunarum conditionem, quasi natura omnes ex eodem luto finxisset, hominum autem malitia et pravitas disparem singulis tribuisset sortem. Se nempe, quamvis diligentes, vix habere unde se suosque sustentent, dum alii socordia otium terentes, domos ac villas aedificant, amant, potant, signa vasaque undique corradunt et quadrijugo curru et albentibus equis, ipsis labore sudantibus, in plateis et viis circumvehuntur: haec autem quibus premuntur mala soli imperii formae et legibus esse tribuenda; modo omnium de plebe vox in comitiis audiatur, omnia brevi in melius reformatum iri et novum ab integro seculorum nasciturum ordinem. Augent et amplificant hasce vulgi quaerelas, partim homines probi et honesti, sed qui parum perspicaces, serio ac bona fida existimant, quae societati natura sua ac plerumque hominum vitiis inhaerent mala, solarum legum esse culpam quique adeo sibi blandiuntur, uno ictu atque impetu praesentem rerum statum everti et mundum novam prorsus posse induere faciem, partim illi, qui cum nihil habeant quod perdant, ex perditis rebus sibi lucrum quaerentes et specie populares omnia omnibus exprobrantes, mentes

vulgi ad seditiones omniumque rerum conversionem incitant. Omnia sursum deorsum miscentur, mutatur imperii forma, jus vetus ac longo tempore consecratum temere abjicitur et pro eo, aliae super alias coacervantur leges novae, subitariae, tumultuariae, v. c. de suffragio cum infima plebe communicando, de novis tabulis, de possessionibus dividundis, de officinis publicis, de societate operarum, de abolendo cultu, de reformandis fastis, de matrimoniis et divortiis, de exaequandis juribus spuriorum et legitime conceptorum et denique multae aliae, quae quidquid habeant praeclari, hoc uno exiguo laborant vitio, quod populus eas ferre non potest. Dixi, hanc morum legumque discrepantiam priore illa longe esse perniciosiorem. Quid enim fieri testatur cum veterum tum populorum recentiorum historia? Vix a tribunis suis concitata plebs, comperit, se vana spe fuisse deceptam et posse quidem subito leges et imperium tolli, non vero hominum vitia et vitae civilis conditionem, cum et novas suas leges et suos legislatores abominatur, et omnes isti strepitus ac tumultus quo alio redeunt, nisi ut omnibus rebus perturbatis atque confusis, unus aliquis temerarius capessat rempublicam, qui cum tantum ferro valet, ut omnes sub suam ditionem redigat, hoc potissimum agit, ut eorum quae proxime gesta ac perpetrata fuerant, memoriam aboleat omniaque in pristinum statum reducat.

Quin, cum homines ad extrema nitantur, unicus fructus quem impetuosi illi rerum novatores tulerunt, hic est, ut ea quae lente festinando, sine sudore ac sanguine post breve forsan intervallum impetrassent, nunc novarum rerum metu omnibus injecto, vel in longissimum tempus vel in infinitum differantur.

Alia causa qua fit, ut leges moribus non congruant, posita est in legislatoris desidia inquam, an ignavia, qua leges non opportune, sed repente et prouti res incidit, eo demum temporis momento feruntur, quo summa aliqua imminere videatur necessitas idque neque totius rei quam spectant ambitu rite perspecto, neque ab omni parte perpensis et inter se comparatis commodis cum pristino iure conjunctis cum incommodis ex novo iure oriundis. Erat ante aliquot annos auctor quidam Gallicus, qui venustum scripsit libellum de eo quod cernitur et non cernitur, in quo libello tam lepide quam vere demonstravit, quae ac quanta hominum societati infligantur vulnera eo, quod in plerisque quae occurrunt negotiis, homines ad singulos tantum effectus respicientes, id solum animadvertant, quod oculis perspicitur quodque ante pedes positum est, rerum autem naturam et causas, nec indagare velint, nec qua plerique sunt ingenii imbecillitate, si velint, possint. Quod cum universe verum est, tum in iure condendo observare licet.

Est nempe boni ac providi legislatoris perpetuo ac constanter vigilando et investigando, secum reputare, quid ad juris emendationem valeat constituta seu mutata regiminis forma, quid nova quae quotidie in rerum usu existunt negotia, quorum nullae neque appellationes neque formae jure civili proditae sunt, quid denique id quod aliae cultiores gentes circa jus suum praestiterint quodque ut integrum vel partim recipiatur, dignum est. Tum vero potissimum, cum videt aliquod in societatem irrepsisse malum, debet omnem suam curam et diligentiam adhibere, ne luxuriosius crescat aut latius serpat, idque cum explorando veram mali causam et originem, tum inquirendo, quodnam ex variis quae afferuntur remediis, cum maxima efficacitate minimum secum trahat incommodi. Quod si contra per inertiam malo oculos connivens, tempus opportunum dimittit et factum quoddam inopinatum ac specie sua prae aliis conspicuum, vulgi animos repente percellit, subito undique oriuntur clamores, eam quae exstat legem, ne momento quidem amplius obtinere, ut civitas stet, intra brevissimum tempus novam rogari oportere, et sic demum legislator e somno suo expergefactus, vel invitus cogitur ferre legem repentinam, quae dum uni quod imminere videtur malo occurrit, alia parit statim quidem non perspecta sed in posterum longe majora.

Vetus urbi Romae fuit foenebre malum discordiarum et seditionum creberrima causa. Cohaerebat hoc malum cum peculiari incolarum conditione, cum Romanorum vivendi genere, cum servorum multitudine, cum bellorum quae gerebantur frequentia, cum universo denique reipublicae statu, quem indicare nunc meum non est, sed quem funditus evertendum fuisse constat, si malum quo de agitur, radicitus exstirpari voluissent. Vera autem ejus natura ac causa quum non fuisset perspecta, variis deinceps tribunitiis rogationibus usurarum modus fuit constitutus. At cum data aliqua opportunitate, apparuisset invitis istis plebiscitis, plebem aere alieno fuisse oppressam et demersam, tribunus plebis nescio quis tulit legem eamque (quis dubitat) plebs cupide scivit, ne omnino fenerare liceret, quin cum iis qui usuras exegissent per manus injectionem ageretur. Creditisne forte Auditores! ab eo inde tempore generosos illos foeneratores, egenorum commiseratione motos nummos suos sine ulla mercede mutuos dedisse? Audite Tacitum graviter ut solet querentem „vetita usura multisque plebis„citis obviam itum fraudibus, quae toties repressae miras „per artes rursus oriebantur." Quis igitur fuit legis hujus repentinae effectus, nisi hic, ut partim adimeretur subsidium inopiae temporariae, quo vita communis egere nequit, partim per fraudes et vias occultas in perniciem eorum ipsorum quibus se succurrere

existimassent, id perpetraretur, quod ne palam fieret intempestive prohibuerant?

Aliud memorabile est exemplum ad idem argumentum pertinens, ex nostro iure desumtum. Seculum fere est ex quo inter peritos constitit, omnes leges foenebres penitus esse abolendas, eo potissimum argumento, quod quantum pro usu pecuniae numeratae ut pro alterius cujusvis mercis, cui pecunia est annumeranda, solvi debeat, non a legislatoris arbitrio pendere, sed totum istud negotium contrahentium voluntati relinqui oporteat. Qua doctrina quamquam universe probata, tamen lex nostra foenebris cum omni damno ei cohaerente, in patria nostra vigere perseveravit, donec ante paucos aliquot annos in Anglia repente exstitit inopia nummaria, qua in rerum commercio usurarum modus in immensum creverat. Quo facto commotus legislator subito scivit, ut in infinitum foenerare liceret. Sed hac repentina lege inconsiderate et festinanter ferenda, obliviscitur, aliam superesse legem eodem prorsus fundamento tollendam, quae vetat, quominus exceptis quibusdam casibus usurarum usurae exigantur statuitque ut semper anatocismus sit anniversarius, adeo ut nunc de usuris utamur jure, quod nec sanis oeconomices principiis congruit nec sibi ipsum constat.

Aliud desidiae genus cujus se reos faciunt legisla-

tores, hoc est, quod leges quae nonnisi temporalem habuerunt necessitatem, diu postquam causa ferendi cessaverit obtinere patiuntur, quamquam nemo amplius eas cogitet, nedum obedientiam iis praestet. Sic v. c. vel hodieque apud nos superest lex, qua quis vetatur filio filiaeve praenomen dare, nisi sit unum ex illis quae vel occurrunt in variis quae dicuntur calendariis, vel innotuerunt ex veteri historia, quam scilicet cujusvis pagi officialis ut digitos suos nosse debet. Aliam legem ad quam exempli causa provoco, memoriae quaeso! vestrae mandate. Nam omnes fere qui hic adestis, quin et vos collegae aestumatissimi, qui publice jus profitemini, quotidie in jus committitis. Cavit nimirum constitutio regia rite promulgata, ne quis eum qui alibi domicilium habet (etiam si pater materve filius filiave sit) vel per unam noctem hospitem recipiat, nisi intra sex horas post ejus adventum certiorem fecerit magistratum municipalem curaveritque hospiti suo exhiberi instrumentum, continens praenomen, nomen, vitae genus recipientis et ejus qui recipitur quoque instrumento commorandi venia nonnisi in quatuordecim dies indulgetur. Vix profecto credibile, in patria nostra quae est meritoque habetur libertatis amantissima, non licere quodvis praenomen liberis suis dare, vel proximum cognatum per unam noctem, nisi venia impetrata hospitem recipere. Et tamen res ita sese habet. Prima quippe

lex originem traxit a conversione rerum superioris seculi, quo homines delectabantur praenominibus non a personis, sed a rebus inanimatis, potissimum a libertate, fraternitate et aequalitate repetitis, vel talibus, quae aliarum familiarum idque nobilium erant nomina. Perversam illam consuetudinem cum pertubationi ansam praebuisset, sapienti consilio cohibendam esse existimaverunt. Decretum regium de hospite non recipiendo, fuit editum ante quadraginta annos, quo tempore cum Belgis finitimis gerebatur bellum et metus intercesserat, ne transfugae et proditores aliunde advenae, civitati periculum adferrent. At vero apud nos qui liberi et aequales esse quam videri malumus, quique non tam cupide nobilitatem sectamur, ut malis artibus nos in eam insinuare velimus, neminem facile libido capiat praenomina eligendi, quae nonnisi ridiculae ostentationis speciem prae se ferant. Cum Belgis nobiscum est pax, foedus et amicitia. Constitutio tamen regia ad hunc usque diem in diariis publicis fulget fulgebitque, donec ab uno alterove pagi forte magistratu unum ex municipibus vexaturo, ex annalibus eruetur, et condemnatione judicis secuta universe ad libertatem proclamabunt [1]).

---

[1]) Post hanc orationem habitam aliquis me admonuit, constitutionem illam abrogatam fuisse die 2 m. Decembris anni 1858. Parum tamen hoc ad argumentum propositum, quum verum maneat, legem temporariam viginti annos post-

Causis denique legum a moribus discrepantiae et haec est adnumeranda, quod populus qui illis utitur, non sponte eas sibi scivit, sed potius invitus ab alio populo, cujus sub ditionem fuit redactus sibi obtrusas recepit. Victor enim parum sollicitus de eo quod victo expediat ejusque institutis aptum sit, id tantum agit, (cum pro ratione stet voluntas), ut hic per leges quoque secum coalescat. Iam credideritis, simulatque turpi jugo collum fuerit ereptum, pristina et patria jura quatenus ab usu et utilitate fuissent probata, postliminio restitui, contra ex peregrino et obtruso jure id statim antiquari, quod nec justum habuit initium nec diutius vivendi habet rationem. Sed ecce! denuo culpabilem tarditatem legislatoris patientis, ut ejusmodi leges quasi gloriosa servitutis monumenta in statu suo remaneant. Quod cum alibi factum videmus, tum etiam in patria nostra a GALLIS subacta, damno nostro experti sumus. Negari utique nequit, nobis juris ordinandi arte haud sane conspicuis, feliciter contigisse, quod per adversam nostram fortunam, liberati tandem fuimus variis illis ac diversis statutis et consuetudinibus, quae in variis reipublicae nostrae partibus olim obtinuerant, quod

---

quam ferendi causa cessaverat, vigorem suum obtinuisse frustraque adeo civium liberatem impedivisse.

si factum non esset, forsitan et nunc gauderemus tot juribus, quot sunt in regno nostro provinciae, urbes, vici, pagi. Sed ab altera parte nemo inficias ibit, hunc quem tulimus fructum, longe uberiorem futurum fuisse, si brevi post recuperatam libertatem a legislatore diligens inquisitio fuisset habita de iis quae retinenda et quae respuenda essent. Quod cum facere supersederet, remanserunt remanentque inepta et absurda, quae tantum civitati attulerunt damnum, ut ejus vestigia vel hodieque cernantur. Duobus defungar exemplis. Inter plures alias leges et ea a Gallis fuit introducta, qua statutum, ut qui septem genuisset liberos, posset unum ex maribus qui decimum aetatis annum attigisset, adsignare summo imperio publice alendum et educandum. Lex, ut facile intelligitur, temporis causa lata, ut premio quodam procreationi oblato, incolarum numerus, continuis ac non interruptis bellis exhaustus, augeretur simulque liberi isti a patria, ut eleganter Galli, adoptati, mature in lyceis militaribus imbuerentur disciplinis. Apud nos tantum abfuit, ut quis incolarum numerum artificiose augeri optasset, ut plerique potius quererentur, tot ac tantos esse fruges consumere natos, neque ita gloriae militaris sumus avidi, ut quam plurimos ad militiam armatam incitandos esse censeremus. Nihilominus per triginta et quod excedit annos, substitit haec lex Papia Poppaea, quae a Romanorum eo tantum

differebat, quod haec aerarium locupletaverat, dum nostra, postquam abundanti fertilium patrum copia nobis quadringentis millibus constiterat, fiscum ad incitas redegisset, nisi post varios casus et multa discrimina rerum fuisset abrogata. Sed haec non nisi pecuniaria fuit jactura. Longe majus detrimentum cepimus ab alia lege NAPOLEONTICA. Eam significo, quae prohibuerat, ne plures quam viginti homines sive quotidie sive stato die sine venia imperantis coirent, religionis, artium colendarum aut de rebus publicis disserendi causa. Lex utpote coercens naturalem coeundi libertatem et tyrannidem redolens, per se vituperanda. Habebat tamen quod excusationem merebatur reputantibus, illi qui eam tulerat, ob oculos versatos fuisse coetus illos et conventus et sodalitia, quibus perditi homines ad omne facinus parati, concionando quotidie plebem ad tumultus et caedes inflammabant. At vero longe aberat tempus, mutata ratio. Quid igitur statuendum de legislatore nostro, qui cum ei res fuisset cum populo quieto, pacato et ab omni seditione abhorrente, nihilominus per signitiem suam passus est, ut istius legis obtentu homines, qui in nullum scelus se obstrinxissent, nisi quod Deum suo more colendum esse existimarent quique non occulte ac per noctem quasi Bacchis initiarentur, sed palam ac sub dio precationis carmina suo ritu funderent, utpote seditiosi ac facine-

rosi in jus raperentur, mulctarentur, et ni solverent in carcerem detruderentur. Utrum hisce poenis infligendis, numerus eorum qui huic sectae fuerant addicti, ab eo inde tempore diminutus fuerit, ipsi judicatote. Istiusmodi vero poenas infligi potuisse iis, quorum unicum crimen erat, quod crimine carerent idque in patria nostra ante tria secula libertatis religiosae fautrice, satis abundeque probat, quam verum sit id quod dici solet, plus aliquando societati, culpa et negligentia, quam per dolum et fraudem afferri praejudicii.

Quod si ea quae attulimus, haud improbabiliter sunt disputata, sic forte quis quaeret, verum esse non potest, id a quo initium fecimus, nempe cujusvis populi naturam et indolem optime ex ejus legibus cognosci? Imo nil magis verum, modo judicium non dirigatur, nec norma exigatur ad singulas quae nobis sese objiciunt leges, nulla habita ratione aliorum institutorum, quae earum vim temperant et moderantur, sed potius sic statuatur, prouti populus leges suas aut ad suae aetatis, ingenii, morum, vivendi rationem conformare valeat, aut contra plurimas quarum fundamentum est eversum aut ratio evanuit, integras intactasque manere sinat, ita eum vel vigoris virilis, vel senescentis aetatis testimonium praebere. Vix enim quid periculosius

excogitari potest, quam si leges aut contemtae jaceant, aut a plerisque eludantur. Et quo quaeso! jure legislator a subditis obedientiam exigat, quum sua ipse culpa a se deflecti patiatur? Quum praeterea vera libertas eo constet, ut omnes legum servi simus, ea qua plerique se legibus solutos esse censere possint, non est vera et unice optanda libertas, sed effrenata peccandi licentia.

Ad quodnam populorum genus nostrum referam? Piget dicere. Quidquid nobis sumamus, literas, multarum artium disciplinam, plurimas animi ingeniique dotes, in jure nostro ordinando neque multum profecimus, neque pari gradu cum aliis gentibus, praecipue cum Germanis qui ceteris omnibus palmam praeripuerunt, progressi sumus. Cujus rei causas explanare meum non est, eo minus quod cum alio loco et opportunitate de eodem argumento verba feci, tum etiam quod jam melior nobis illuxit dies. Sentimus, quo laboramus, malum, et adhibentur remedia, de quorum efficacitate, ni omnia fallunt, non est quod desperemus. Unum hoc addere liceat, quod pertinet ad officium eorum qui jus dicunt. Prava nempe et non satis exagitanda est consuetudo nonnullorum, qui, cum illis jus est dicendum secundum legem ipsorum judicio duram vel iniquam seu vulgo contemtam, eam, ut ajunt, mollius interpretantur, revera autem flectendo et torquendo,

ejus vim tollunt vel diminuunt, quod neque gravis neque sapientis est judicis. Praeterquam enim quod sic legislatoris sibi arrogans personam, confundit duo officiorum genera, quorum separatione continetur firmissimum libertatis hodiernae praesidium, id necessario accidit, ut leges quamvis ineptae, ea ipsa de causa, quod perniciosa earum vis vulgi oculos non ferit, durare perseverent. Imo quo durior et iniquior videtur lex, eo magis judicis est, curare, ut illi qui ea utuntur, malum inde oriundum sentiant et experiantur, et quidem eum in finem, ut ejus abrogatio quantocius ab omnibus efflagitetur. Quodsi denique legislatoris virtus est imperare, vetare, officium jus dicentis est, legi obtemperare et secundum eam judicare, quod quo religiosius fiet, eo magis bonarum legum reverentia omnibus inculcabitur, malarum quo strictior erit observatio, eo brevior futura est vita.

Lex me jubet ut enarrem ea, quae me Rectore Academiae laeta ac tristia acciderunt. Ad haec refero quod e medio vestro Curatores! excessit vir Amplissimus VAN DER HEIM VAN DUIVENDIJKE, vir antiquae virtutis, vere Neerlandus. Illustri genere natus, liberaliter educatus, in hac nostra Academia literis humanioribus et juris doctrina institutus, postquam juvenis pro patria arma gessisset, deinde

in militia togata eum se praestitit, qui ad summos in republica honores, non aliorum gratia, sed ipsius peculiari rerum administrandarum peritia proveheretur. Patricius, nobilis et optimatium partibus addictus, vetera tueri quam nova probare malebat, sed erat in illo viro ea fides, ea constantia, is justi amor, ut vel qui ab adversa parte steterunt eum colerent ac suspicerent. Amabat patriam, amabat Academiam, amabat literas: pie ejus memoriam colamus.

Successisti in ejus locum vir amplissime V. BYLANDT! qui jam ante aliquos annos eodem munere functus, cum propter absentiam reipublicae causa, eo abdicandum esse censuisses, nunc cessante causa, jure postliminii pristinam dignitatem recepisti. Gratulor tibi honorem restitutum; per omnia jam dudum experto, Academiam nostram commendare necesse non videtur.

Viros amplissimos PHILIPSE et METELERKAMP utrumque morbo esse implicitos dolemus. Ut brevi ad bonam valetudinem redeant, ex animo optamus. Vos reliquos curatores incolumes hic adesse, nobis omnibus gaudio est. Ea etenim quae studiis nostris promovendis inserviunt, ita a vobis geruntur et curantur, ut nulla umquam difficultate, ne fisci quidem angustiis vos deterreri patiamini, quo minus ea consequamur, quibus Academiae salus continetur. Vobis adeo acceptum referimus, quod apparatus academicus rite est instructus et bene ornatus.

Bibliotheca, cui omnem suam diligentiam et curam impendit Cl. PLUYGERS, in dies locupletatur et summa liberalitate omnibus desiderantibus aditum sui patefacit.

Hortus botanicus ab utilitate et suavitate probatus, mox ornabitur novo insrumento plantis aquatilibus colendis apto.

Specula Astronomica, quid et quantum praestet, ne quaeso! rogate Kaiserum nostrum, virum prae ceteris eximium, sed tantum a semet ipso exigentem, ut cum omnibus semper, sibi numquam satisfaciat, quin si ipsum querentem audiatis, se frustra sudasse et plerosque vitae suae dies perdidisse vobis narrabit. Ne ullam fidem ei habetote Auditores! si de specula et de speculatore quid verum sit, scire velitis, rogate eos qui in toto docto literarum orbe harum rerum sunt judices.

De Nosocomio cessant querelae, a quovis rectore quotannis ut carmen necessarium repetitae. Opus quidem nondum est perfectum, „nullum enim, ut ait Ictus, bal„neum, aut theatrum, aut stadium fecisse intelligitur, qui „ei propriam formam, quae ex consummatione contin„git non dederit." Sed arridet nobis spes, fore, ut intra breve tempus omnibus copiis instructum erit aedificium patria, Academia, summo BOERHAVENII nomine, cujus statua ornabitur, dignum.

Quod cum fiet, cui id magis debebitur, quam tibi

Cl. EVERS, de cujus salute ut fuere qui superiore anno desperarent, sic te hodie integris corporis animique viribus nobis interesse omnes gaudemus. Tu enim, ut alia tua taceam, tuo indefesso et numquam interrupto labore, rogando, petendo, flagitando, blandiendo, pollicendo, minitando, id tandem impetrasti, quod alii ante te frustra conati erant, ut usu aegrotantium et discentium et docentium eximeretur illud quod nuncupabatur quidem Nosocomium, sed de cujus tristi habitu et conditione, una omnium eruditorum erat vox, quin de quo nonnulli ominabantur, si forte (quod Deus averteret), vehemens aliquis morbus per urbem grassaretur, ad illud accommodatum iri, quod cecinit poeta:

Spem deponite vos, miseri qui acceditis, omnem.

Hoc tu omen a nobis avertisti et Academiae novum splendorem adjici curastì, cum quo tuum nomen perpetuo erit conjunctum.

Professores, viri CLARISSIMI! Quum hanc qualemcunque concinnarem oratiunculam, sperabam fore, ut mihi gratulari possem, hoc anno collegarum nemin esse parentandum. Spes me fefellit. Obiit nudius tertius Hengelius noster, senex ille venerandus, quem nisi vanum fuisset votum, omnes immortalem optavissemus. Nemo a me expectabit, ut equidem hodie vel vitam ejus narrem vel laudes celebrem. Impossibilium, ut nos di-

cimus, nulla est obligatio, nisi forte quis, quod ego impium ac nefas ducebam, ut colligendo ac scribendo mortem summi viri representarem maluisset. Attamen, quod ego, si sors ita tulisset, aliorum auctoritate et ore locutus essem, longe melius, ut mihi blandior, proximo anno ex sua ipsius scientia dicturus est, vir Clarissimus, Theologus eximius et in Historia Ecclesiae Neerlandae ita versatus, ut nemo profecto futurus sit, qui mea adscititia quodammodo desiderabit.

Quamquam autem non morte, unus re ex numero nostro eximitur, quem minime omnium eximi voluissemus. Tu, Clarissime DE WAL, invitus invitos deseris. Invitos inquam. Dicam enim quod sentio. Te cariorem Collegam numquam habuimus, te cariorem Praeceptorem, testes estote qui hic adestis omnes! nulli umquam habuere discipuli. Et quid mirum? Quamquam in hac Academia neque institutus neque instructus, inde ab adventu tuo, eam ita in amore et deliciis habuisti itaque noster eras et noster mansisti, ut persuasum mihi sit, quum e conspectu nostro aberis, collegarum quemque eo animo affectum iri, quasi sentiat aliquem ex coetu nostro deesse, quem deësse numquam oportuerat. At vero duo sunt, quae nobis solatium afferant. Primum, quod te vivum quidem desiderabimus, non mortuum lugemus. Vivis, imo etiam in Senatum venies designabisque oculis tuis unumquemque nostrum, ad veterem quae no-

bis tecum intercessit necessitudinem retinendam et corroborandam. Alterum est, quod otium tibi cum summo honore et dignitate concessum, conjunctum est cum ejusmodi negotio, quo nec jucundius, nec gravius tibi umquam mandari potuit. Et profecto, si umquam ars eligendi defuit iis, qui regis a consiliis sunt, non utique defuit tum, quum te praeponerent quinque-viris legibus poenalibus scribendis. Quem enim potiorem te nominare potuissent, qui cum per plures annos magno omnium applausu jus poenale professus, tum magistratus usu expertus es, quid ei morbi vitiive sit quique praeterea ea es animi mansuetudine, ut nec omnia peccata paria, nec omne delictum nefarium scelus habiturus sis? Utinam D. O. M. tibi suppeditet vires, quibus opus, fausto omine inchoatum, feliciter ad finem perducas tibique et patriae condas monumentum, de quo longe meliori jure quam Livio de Romanis, gloriari licebit, nulli umquam genti quam Neerlandae mitiores placuisse poenas.

Locuples utique ad te Clarissime MODDERMAN! pervenit hereditas, sed non sine sacris. Qualiscunque enim de te nos teneat expectatio (et est magna), quidquid in posterum ages, cum meritis auctoris tui comparabitur. Sed bono sis animo! Ex Wallii disciplina et ipse profectus, et hujus tibi imaginem ob oculos ponens, a te ipso, quem doctissimum et probatissimum olim cognovimus discipulum, non deflectes.

Tibi, Clarissime RIJKE, gratulor festum, quem celebrasti ejus diei, quo ante hos viginti quinque annos professoris munus suscepisti. Quod quamvis feliciter tibi tuisque contigerit, vix tamen est, quod magnae tibi laudi vel gloriae ducam. Unicuique enim, modo ad tuam aetatem pervenerit, idem contingere potest. Hoc nomine te beatum praedico, quod praeterquam quod doctrinae cumulus tibi accessit, semper idem mansisti, quod eodem tu quo olim flagras studiorum ardore, eodem erga disciplinam tuam et discipulos tuos amore. Sit tibi in posterum quoque vita felix, diu diuque maneas Academiae nostrae decus et ornamentum!

Clarissimi ZAAIJER et BOOGAARD! Dignitatis ratione habita, varia sunt Professorum genera et species. Sunt qui honorarii dicantur, titulo ac nomine tenus. Sunt extraordinarii iique denuo vel cum suffragio vel sine suffragio. Sunt denique optimo jure Professores. Ad hos sero quidem, sed tandem relati estis. Sero inquam; saepe enim de hoc suggestu dictum et repetitum est, in fraudem legis et e x t r a o r d i n e m creari Professores Extraordinarios, quibus ordinaria docentium officia et munera injungantur. Quoad vos injuria sublata est, Iam aequo nobiscum jure utamini!

Ad vos me converto, laudatissimi adolescentes, ex

quibus eheu! unus desideratur, Ornatissimus BOSCH VAN DRAKENSTEIN, juvenis, ut apparuit ex eleganti libello, ab illo superiore anno concinnato, bonae indolis et spei. Gravi morbo correptus, matrem suam, matronam spectatissimam, orbam, vobis amicis et sodalibus magnum sui desiderium reliquit.

Sed ad laetiora transeo. Albo studiosorum incriptus est GUILIELMUS, ALEXANDER, CAROLUS, HENRICUS, FREDERICUS, Regis Augustissimi filius, Neerlandiae Princeps. Laetamur et gloriamur. Laetamur, quod inde omnibus apparere potest, quantum Regiis parentibus curae cordique sit, ut filii sui in amplissimo dignitatis gradu locati, non solum armis decorati, sed etiam a doctis et a doctrina instructi ad rempublicam accedant. Gloriamur, quod Augustissimus Rex lubentissime et sine ulla animi sollicitudine, alterum carissimum sibi pignus commisit fidei Academie Lugduno-Batavae et praecipue eorum virorum institutioni, qui exemplo suo ostenderunt et quandocunque opus erit, denuo ostendent, cum summa reverentia regiae majestati debita, libere sentiendi et quae sentias dicendi libertatem optime consistere.

Utitur et delectatur, ornatissimi commilitiones! vestra consuetudine Illustrissimus Princeps, idque jure meritoque vestro. Tam bene enim universe morati estis, ut tuto inter leges obsoletas, de quibus disputavi, eam

retulerim, quae Rectori Magnifico jus facultatemque tribuit, vestrum quemque vel in coenaculum suum relegandi, vel in custodiam conjiciendi. Mihi non tantum nulla tali poenae severitate, sed ne levi quidem admonitione per totum huncce annum opus fuit, quae una est ex causis, quae mihi munus gravissimum simul jucundissimum reddiderunt.

Celebravistis solennem vestrum festum quinquennalem hilariter, jucunde, modeste, quo denuo probastis sensum pulchri, venusti et honesti, quo semper conspicui fuistis, ne nunc quidem in vobis desiderari.

Ludere, psallere, cantare, saltare scitis, sed ita, ut ubi seria sunt agenda, non minus promti ac parati sitis. Vix enim post festum celebratum percrebuerat, bellum exarsisse inter duos populos viris armisque potentes, quum nonnulli ex vobis volaverunt ad castra camposque sanguine madentes, non quidem armis dimicaturi, sed tamen haud sine vitae periculo, ubicunque desideraretur, opem, auxilium laturi miseris afflictisque, aegrotantibus et sauciis. Macti virtute estote generosi juvenes! Fremant licet omnes bellorum fautores, sive reges sive caesarum nomine insignes, invadere possessiones alienas et incolas finibus expellere, devastare urbes, conflagrare pagos, depopulari agros, violare mulieres, trucidare senes imbecillos, jugulare infantes teneros et innoxios, haec omnia, quidquid ca-

nant poëtae et ipsi vanae gloriae umbra arrepti, sunt inhumana, barbara, horribilia, abominanda. Vos potius, relicta hac alma musarum sede, in longe alia incumbite. Vos potius curate, ne consultores vestri capiantur, ne incuria hominum morbi exoriantur vel propagentur, ut melius cognitis perspectisque naturae legibus, promoveatur agricultura, mercatura et inter cultiores gentes commercium, ut magis magisque colatur Dei hominumque amor, ut denique alumni vestri imbuantur iis disciplinis, quae mores molliunt, nec sinunt esse feros. Hisce pacis artibus colendis, et longe melius hominum saluti, commodis et utilitatibus consuletis, et vobismet ipsis eam conciliabitis laudem et gloriam, quae cum non inani virtutis specie, sed vera humanitate nitatur, erit sempiterna, in omne aevum duratura.

Nil restat, nisi ut quod ipse habui imperium et potestatem tibi et in te transferam, Clarissime RAUWENHOFF! qualem virum successorem mihi designatum, non est quem moneam: Caveat Rector, ne quid detrimenti capiat Academia.

DIXI.



TYPIS A. W. SIJTHOFF.



